



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VI. Ad quæstiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

parochus, alijsve beneficiarius propter odium contractum apud plebem, vel Magistratum utilis futurus non putatur, Episcopus proprio motu permutationem instituire potest *argum. hujus c. ubi id docet Abb. n. 8. Imola n. 6. & argum. c. nisi 10. de renunciatione, ubi id Innocentius docet.*

## CAPITULUM VI.

## Ad quaestiones.

## PARAPHRASIS.

In quadam diocesi duae erant Ecclesiae Conventuales habentes singulae parochiam sibi unitam: has duas parochias Religiosi permutare volebant propter vicinitatem majorem, sed quia una earum uberioris proventus habebat, idem Conventualis Ecclesia, sive Monasterium, cui suberat, postulavit, summam aliquam pecuniae superaddi. Quaesitum fuit, num id liceret: respondet Clemens III. permutationem parochiarum per se, ac seorsim faciendam esse, & contractum permutationis possessionum, cum refusione pecuniarum, quatenus unius parochiae possessiones majoris valoris sunt, itidem per se, ac seorsim instituendum esse, ita, ut hi contractus non misceantur.

## SUMMARIUM.

1. Etiam beneficia, quae in proprietatem tenentur, permutari possunt.
2. Non tamen possunt vendi.
3. Possessiones tamen illis annexae in estimationem deduci possunt, praesertim cum de his contractus specialis fiat.

Notandum primò. Beneficia non tantum permutari possunt, si teneantur in titulum, sed etiam si teneantur in proprietatem. Ita *Hofst. & Abb. hic n. 2. & dixi de hoc in lib. 4. tra. ult. §. 5. q. 6.* Divertimodè autem Superioris consensus, seu auctoritas requiritur, prout bene notavit *Abb. n. 5.* si enim permurentur beneficia,

quae possidentur in titulum, requiritur Superioris auctoritas, quia beneficium sine Canonica institutione non obtinetur; si autem permurentur beneficia, quae habentur in proprietatem, tunc requiritur consensus, & auctoritas Superioris, sicuti ad quandam rei Ecclesiasticae alienationem, sicuti constat *ex tit. de rebus Ecclesiae non alienandis.*

Notandum secundò. Licet Ecclesiae, & beneficia, quae tenentur in proprietatem, ex causa justa utilitatis, & adhibitis solemnitatibus permutari possint, non tamen vendi, seu pro pretio dari. Ita *Gl. hic v. per se.* Ratio est, quia spiritualia non possunt pretio aestimari, aut comparari, ut hic, & *c. cum pridem 4. de pactis c. super eo 7. de transactionibus.* emptio autem & venditio sine pretio non est *§. item pretium. Instit. de emptione.*

Notandum tertio. Possessiones annexae Ecclesijs, seu beneficijs permutandis in estimationem secundum se venire, atque vendi possunt ex causa justa, & adhibitis solemnitatibus, eò quod temporales sint, & pretio aestimabiles. Tamen si verò consultum sit, ac tutius ad vitandam Simoniae suspicionem, ut duo distincti contractus sub diversa verborum forma instituantur, quorum unus sit permutationis Ecclesiarum secundum se, alter verò permutationis, aut venditionis possessionum; sufficere tamen videtur, si fiat per modum unius contractus aequivalentis duobus, hoc modo, parochiam unam cum praedij, & juribus adhaerentibus permutamus cum parochia, ita ut compensatio uberiorum proventuum nostrae parochiae fiat mille aureis numeratis.

## CAPITULUM VII.

## Cum olim.

## PARAPHRASIS.

Magister S. & B. Archidiaconatum, & Praeposituram inter se permutarunt; ea causa coram delegatis iudicibus agitata fuit; postea verò coram Innocentio III.

in